





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
[N bis 382 [45, 197 4]]







Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
[N bis 382 [45-197 4\*]]





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 382 [45, 197 4"]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
[N bis 382 [45, 197 4']

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or footer.



*Dupl. b)*

EPISTOLA CONSOLATORIA DAVIDIS CHYTRÆI, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS  
celeberrimi, & Rostochiensis Academiae  
Professoris clarissimi,

*ad Generosum Dominum*

HENRICVM RANZOVIVM,

REGIVM IN DVCATIBVS HOLSATIÆ VICARIVM,  
*de immaturo filii sui CAII RANZOVII, Reverendissimi Archiepiscopi Bre-*  
*menfis & Antistitis Lubecensis Iohannis Adolphi, Ducis Slesvici, Holsatiæ, Stor-*  
*mariae & Dithmarsiae. &c. Consilarii, ac Praefecti arcis Gottor-*  
*piensis, pie in CHRISTO defuncti, obitu*  
*viriliter tolerando.*

VNA CVM

Ejusdem HENRICI RANZOVII Respon-  
soriã, quæ præter Theologica, etiam Philosophica  
exhibet de hominum resurrectione  
testimonia.

Quibus adjecta sunt

*Elogia & Epitaphia aliquot diversorum autorum,*  
*& Copia quædam literarum Serenissimæ Daniæ Regis Friderici II.*  
*de dimissione prænominati CAII, cum in Belgio*  
*captivus detineretur.*

Item Epitaphia IDÆ RANZOVIAE, CAII & ELI-  
SABETHÆ Ranzoviorum filiae, & Henrici  
Ranzovii V. R. neptis, a parentibus  
Apenrodæ posita.

---

HAMBVRGI. Anno Christi, M. D. XCI.



IN INSIGNIA FAMILIÆ GENTIS RANZOVIANÆ.



**R**anzovia gentis sunt hæc insignia: cuius  
 In galea Martis cornua robur habent.  
 Vna, quid est, albo quod pars nitet, altera rubro?  
 Arma duces belli, paxq; togata decet.  
 Area cur non est facie insignita ferarum,  
 Nobilium clypeis quod decor esse solet?  
 99 Quem pietas, animi candor, quem conscia famæ  
 99 Nobilitas virtus, nobilis ille satis.

Caius Henrici	{ natus est Segebergæ obiit Breden- bergæ       }	} anno { 1562. } 9. Augusti { 1591. } 20. Aprilis       }
V. K. filius		

Vixit igitur annos 28, menses octo, diesq; undecim.




## I N D E X.

Epistola Consolatoria Doct. Davidis Chytræi.	fol. 1. a
Epistola Responsoria Henrici Ranzovii.	3. b
Inscriptio Sacelli Itzehoënsis ab Henrico Ranzovio conditi.	9. b
Inscriptio Sarcophagi ejusdem Henrici Ranzovii.	10. a
Henricus Ranzovius de suo sarcophago ad imitatio- nem Pontani.	10. b
Symbolum Henrici Ranzovii.	11. a
Ranzovici Symboli æquipollentia.	ibid.
Inscriptio marmoræ monumenti in templo D. Laurentii Itzehoæ ab Henrico Ranzovio erecti.	12. a
Typus ejusdem.	12. b. & 13. a
Preces Henrici Ranzovii pro felici ex hac vita exitu, cum nonnullis aliis de fragilitate vitæ Epigramma- tibus.	13. b
Elogium Caji Ranzovii.	14. b
Copia literarum Regis Daniæ Friderici II. de dimissio- ne Caji Ranzovii.	16. a
Inscriptio monumenti Caji Ranzovii autore Petro Lin- denbergio.	17. a
Aliquot Epitaphia Caji Ranzovii autore eodem Petro Lindenbergio.	17. b
Ejusdem Petri Lindenbergii Elegia Consolatoria de obitu filii viriliter ferendo ad Henricum Ranzo- vium V. R. Patrem.	18. b
Aliud Epitaphium Germanicum ejusdem.	19. b
Definitio vitæ Petri Lindenbergii.	20. a
Memoria Caji Ranzovii, autore Bartholomæo Rhodo- manno Boruslo.	ibid.
	Elegia



I N D E X.

Elegia Consolatoria Wippermanni Pastoris Segebergerae ad Henricum Ranzovium de obitu filii Caji.	20. b
Epicedion Caji Ranzovii, autore M. Henrico Gerlacio Hamburg.	23. b
Aliud Epicedion ejusdem, autore Bonifacio Calenio Hamburg.	24. b
Inscriptio monumenti Idæ Ranzoviæ.	2 . b
Versiculi Idæ Ranzoviæ, qui Epitaphio soluta oratione conscripto respondent.	26. a
Aliud Epitaphium Idæ Ranzoviæ.	ibid.
Avus nepti.	26. b
Neptis avo.	ibid.
Aliud Epitaphium Germanicum Idæ Ranzoviæ	27. a
Epistola Consolatoria Georgii Rollenhagii ad Henricum Ranzovium de obitu filii Caji, cum nonnullis Epitaphiis ejusdem.	27. b. usq; ad finem.




CON-



geber.  
u Caji.  
20.b  
erlaçto  
23.b  
Calenio  
24.b  
2 .b  
oratio.  
26.a  
ibid.  
26.b  
ibid.  
27.a  
Henri-  
onellis  
finem

CONSOLATO-  
RIA DAVIDIS CHYTRÆI  
AD HENRICVM  
Ranzovium.

S. D.



Obilis & magnifice Heros, patrone  
colende, posteaquam de nobilissimi gene-  
ris ac ingenii juvene, senilem prudentiam,  
& virtutis maturitatem, ante annos ade-  
pto, filio tuo CAJO, superioribus diebus  
ex hac vita evocato, intellexi: ad officium  
pietatis & gratitudinis, Domino & patrono de me opti-  
mè merito debitæ, pertinere judicavi, συμπαθειαν  
meam, & doloris ac mœstitiæ societatem, tali tempore  
declarare. Vult enim Deus nos adversis amicorum &  
patronorum casibus vero mœrore affici, & simul de  
communi naturæ nostræ infirmitate, de causis ingentiū  
miseriarum & mortis humanæ, & de fontibus consola-  
tionum, quos Deus monstravit, cogitare. Magnum qui-  
dem & acerbum vulnus præpropera & immatura mors  
talium liberorum cordi nostro infligit, in quibus inge-  
nium cœleste suis velocius annis surgit, & ante annos  
animumq; gerit, curasq; viriles: qui virtute & industria  
singulari exculsi ac politi, jam patriæ suæ, & Regibus ac  
Principibus, patriæ Dominis, cum laude servire cœpe-  
rant: & quos, si diutius vixissent, magno Reipublicæ &  
suis præsidio & ornamento futuros, spes erat. Sed non  
A s casu



CONSOLATORIA DAVIDIS CHYTRÆI.

casu fortuito, nec causis secundis tantum nasci & occidere homines, ut pulcherrimi arborum & herbarum flores hoc anni tempore subito defluunt ac pereunt, vel ut poma, alia matura, alia ante maturitatem decidunt, sed certo DEI patris celestis consilio & voluntate, certa vitæ spacia, aliis longiora, aliis breviora tribui scimus. Definiti enim dies hominis sunt, ut vox divina inquit: Numerus mensium illius penes te DEUS est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Etsi autem causas divini consilii, optima quæq; prius à nobis auferentis, & impleri numeris deteriora suis permittentis, omnes perspicere non possumus: tamen cum omnibus hominibus statutum sit semel mori, multis calamitatibus & periculis tempestivè morientes præripi, non solum exempla plurimorum, fortunâ, potentiâ, dignitate, florentium, Pompeji, Ciceronis, Cræsi, Polycratis, Valeriani Cæsaris, &c. quibus diutius vixisse nocuit: verum etiam celestia oracula confirmant. Et uno veluti fasce Seneca mortis tempestivæ commoda complectens exclamat: O ignaros malorum suorum, quibus non mors, ut optimum naturæ inventum, laudatur: quæ sive felicitatem includit: sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat: sive JUVENILE ÆVUM, DUM MELIORA SPERANTUR, IN FLORE deducit: sive pueritiam ante duriores gradus revocat: omnibus finis: multis remedium: quibusdam votum: de nullis melius merita, quam de iis, ad quos venit, antequam invocaretur. Floruit Filius tuus, ingenii sagacitate & prudentia senili: singulari in rebus agendis dexteritate ac industria; morum gravitate, & victore omni-

*Sapient. 4.*  
*Esaiæ 57.*



omnium voluptatum animo, planè adhuc juvenis. Jam quicquid ad summum pervenit, ad exitum properat, ait idem Seneca : Eripit se aufertq; ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturerunt. Ignis quò clarior fulsit, eò citius extinguitur. Sic ingenia, quò illustriora, eò breviora sunt, ut de Marcello adolescente, Augusti sororis filio, Virgilius cecinit : Ostendent terris hunc tantùm fata, nec ultra esse fient. Augustus ipse, vivum & unicum ferè inter Reges, Aristotelicæ beatitudinis, cum excellenti sapientia, virtute & felicitate, cætera etiam fortunæ bona conjuncta habentis, exemplum : duos nepotes suos, CAJUM & LUCIUM, in quibus spem generis & imperii præcipuam collocarat, in ipsum ætatis ac rerum gerendarum flore amisit. M. Cato, ille sapiens & senex, filium prætorium, virum optimum & virtute præstantem, terræ se mandasse refert, cum contra sibi ab illo parentari decuisset. Paulus Æmilius ille, qui Perseum Macedonia Regem à se captum, in triumpho duxit, cum ex quatuor filiis, duos adoptandos, in Scipionum & Fabiorum familiam dedisset; duos superstites, illis ipsis triumphis diebus, ante se ex hac vita migrare vidit.

Hæc cum summis istis Imperii Romani luminibus, & aliis, Principibus & privatis, in Ecclesia DE I evenerint : injustum esset à nobis similia onera recusari, præsertim cum DEUM sapienti & gravissimo consilio, nostræ potissimum utilitatis & salutis causâ, nos morbis & nostrorum morte, & aliis adversis casibus interdum exercere sciamus, ut timor DE I, fides, invocatio  
nostra,



CONSOLATORIA DAVIDIS CHYTRÆI.

nostra, patientia, & cæteræ virtutes, quæ rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, languidiores fiunt, & paulatim prorsus extinguuntur; per crucem & calamitates in nobis explorentur, exercentur, crescant, & confirmentur.

Verè enim Demetrius, vitam securam & sine ullis fortunæ incursionibus, Mare mortuum appellat, quod nullis ventorum flatibus, ut cætera agitetur, nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus denunciatione & incurfu firmitatem animi tui tentes, ut Attalus etiam, Stoicæ disciplinæ Philosophus dixit, malle se, ut eum fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. Sed nostræ potius Philosophiæ Principis CHRISTI testimoniis utamur, qui omnis doloris ac ærumnarum expertes, pro spuris & nothis, non pro filiis à DEO haberi ostendit. Quis enim est filius, quem non erudit subinde, & castigat pater?

Quod igitur, te quoq; non Aristotelica solùm felicitate, ut de Augusto Cæsare paulò ante dixi, sapientia, virtute, doctrina, splendore, gloria, flore liberorum, opibus, latifundiis, plenâ autoritatis & dignitatis senectâ vigentem: sed etiam post mortem, secururam beatitudinem in cœlis æternam expectantem: subinde mortalitatis & fragilitatis humanæ DEUS tuorum funeribus & aliis rebus incommodis admonet, benevolentiam DEI erga te paternam, hac quoq; in parte agnosces, nec voluntati DEI vehementius repugnabis.

Cumq; carissimus filius tuus, in vera agnitione & invocatione filii DEI Domini nostri Iesu Christi decesserit:



CONSOLATORIA DAVIDIS CHITRÆI.

3

serit: certò statuimus eum, in æterna cum DEO & Ecclesia cœlesti consuetudine, consecutum esse æterna cum Christo gaudia, & lætari, se miseris ærumnosæ hujus vitæ mortalis perfunctum esse, & nunc coràm frui conspectu & voce filii DEI, & clarissimorum Regum Davidis, Josiæ, Constantini, Caroli I. Christiani III. Frederici II. & nobilissimi Herois, Joannis Ranzovii, avi paterni, & fratrum qui eum præcesserunt; & tuam ac nobilissimæ matris, & fratrum, sororumq; superstitum salutem DEO commendare.

Quòd si in Christum credimus, & fidem verbis ac promissis ejus habemus, (inquit D. Cyprianus) cur non cum Christo futuri, & de Domini pollicitatione securi, ad Christum, cum quo victuri, & temper regnaturi sumus, læta securitate venimus? Quis non ad meliora festinet? Jam terrenis cœlestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest. Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est nolle ad Christum ire, qui se non credit cum Christo regnare. Et paulò post: Non igitur sunt lugendi fratres & liberi nostri, accersione dominica de seculo liberati: Cùm sciamus, non eos amitti, sed præmitti; recedentes præcedere: ut proficiscentes & navigantes, desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse a tras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumserint.

Non dubito autem, te, universam Ecclesiæ doctrinam, & hunc præcipuè portum vitæ ac salutis æternæ, in quem filius tuus tempestivo cursu jam pervenit, intuentem,

B

tem,



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

tem, & hæc quæ commemoravi omnia, & alia dolorum remedia cogitantem, mediocriter in DEI voluntate acquiescere, & mœstitiæ repugnare. Existimavi tamen ad officium patrono & amico de se optimè merito perirere, tali tempore aliquam communis mœstitiæ & luctus significationem ostendere. Quod, te, tali sapientia & bonitate virum, non aspernari, confido. DEVM æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, fontem omnis consolationis & vitæ præsentis ac æternæ, ardentibus votis precor, ut tibi, & nobilissimæ conjugii tuæ, vires animi & corporis confirmet, & vitam ad multorum hominum & Reipublicæ salutem proroget, & universam familiam vestram incolumem & florentem perpetuò servet. Data Rostochii, Calendis Maji, Anno 1591.

RESPONSORIA HENRICI  
RANZOVII.

ad

*Consolatoriam D. Davidis Chytræi.*

**L**teras tuas Christianæ pietatis & humani officii plenissimas, Reverende ac clarissime vir, quibus me de immaturo filii mei Caji Ranzovii, in ipso ævi flore extincti, obitu consolaris, accepi cupidè, & spe bonâ operam in id à te collocatam esse, ut meum sedare studeres obortum dolorem, legi, hoc ipso fructu efficaci percepto. Non solum enim egregiam



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

giam multorum clarissimorum virorum, qui parem mecum experti sunt amissis liberis fortunam, continebant enumerationem: sed etiam ex ipsis sacris literis, verissimis nempe consolationum fontibus, certa remedia proponebant. Quo factum est, ut dolorem ac luctum, ex hoc tristi casu contractum, non parùm levare atq; leniri deprehenderim. Quocirca pro hoc officii genere gratias tibi habeo quàm maximas.

Equidem ingenuè fateri cogor, me legisse consolationes Philosophicas, cum eam, quam libellus M. T. Ciceronis, de luctu minuendo, in quo seipsum de morte filia consolari conatur, exhibet: tum alteram, quam olim Jacobus Sadoletus, initio Apostolicus Cubicularius, postea Cardinalis, ad Johannem Camerarium Dalburgicum, Episcopum Wormatiensem, & quondam Maximiliani I. Imperatoris Consiliarium, de obitu matris Româ scripsit: Meditationes item in adversis, quæ autore Joachimo Camerario Pabebergenfi in publico exstant. Occurrerunt adhæc magnorum virorum, tam Græcorum, quàm Romanorum, atq; etiam domesticorum exempla innumera, quæ ad animi firmitudinem comparandam valent.

Pericles enim, amissis duobus filiis, coronatus nihilominus in concione disseruit.

Xenophon sacrificans, cum audiret filium fortiter dimicantem occubuisse: deposuerat quidem coronam, eandem tamen continuo capiti iterum reposuit.

Anaxagoram, cum ei mors filii renunciaretur, nihil aliud dixisse ferunt, quàm genuisse se illum mortalem.



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

Demosthenes orator ille insignis, amissâ filiâ unicâ, septimo die indutus albis vestibus coronatusq; in publicum processit.

Rex Antigonus auditâ filii Alcijonei, magno animo dimicantis, & mediis in hostibus occumbentis morte, nihil aliud dixit, quàm tardius, ô fili, audacter in hostem impetum faciendo, meâ opinione cecidisti.

Quintus Martius, Romanorum Rex, cum unicum filium amississet, eo ipso die, quo filii rogam spectârat, curiam ingressus senatum convocavit.

Harpagus Medus, cum filius interfectus ipsi inter epulas jussu Regis sui Astyagis proponeretur, nihil perterritus, quicquid Regi placeret, sibi non displicere, inuit.

Prexaspes morientis filii, cum Cambyses jaculo eum transverberâisset, sine inditio doloris spectator fuit.

Lucius Paulus præterea duos filios spacio septem dierum: Lucius Bibulus, totidem filios, ab Ægyptio milite crudelissimè necatos: P. Crassus in conspectu suo filium: D. Julius unicam filiam: D. Augustus liberos & nepotes, quorum & tu, mi Chytræ mentionem facis, & omnium suorum Cæsarum turbam: Q. Fabius Maximus uno die uxorem & matrem, filium etiam paulò post consularem amisit.

Ex his quisq; suorum interitum infractò animo tulisse proditum est.

Recens etiam duo illi nobiles Holsati, Petrus Dominus in Trojeburg, ac Dethlevus Dominus in Kleetkamp, Ranzovii, ambo gentiles & agnati mei carissimi, post-



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

postquam unius anni spacio, patriam procul, vitam excessisse unicum suum filium uterque cognovit: mirum in tam acerbo casu, quam viros Christianos & à nobilitate fortitudineque Cimbrorum veterum haud alienos se praestiterunt: Petrus in primis, qui ut aetate, ita animi praesentiam & firmitate Dethlevum superavit.

His exemplis omnibus non parum à sollicitudine me abduci sentio: praesertim hoc etiam considerato: mala, quae nec vitari, nec humanis viribus averti possunt, ferenda esse toleranter.

Verumtamen nihil magis me consolatur, quam spes & fiducia, quam de resurrectione mortuorum, immortalitate animae ac vitam aeternam certam concepi, de illa ex verbo divinitus patefacto edoctus: secundum quod in sacris literis exposita exempla Patriarcharum, Abrahami & Jacobi, Regis Davidis, Iobi & aliorum sanctorum intuenda & imitanda, quatenus mea hoc fert tenuitas, spiritu divino suffulta, mihi propono. Vel unus Apostolus in prioris Epistolae ad Corinthios 15. capite, saepe à me relecto, cui non eximat omnem dubitationem, de futura pie defunctorum gloriosam resurrectione? Dissertit de hac luculenter & prolixè D. Paulus disertè docens: Quomodo & quali corpore resurgent defuncti, & prodibunt vitae restituti: afferens imaginem & experimentum vulgò cognitum, de semine, quod non vivificatur, nisi emortuum fuerit: & cui DEUS dat corpus sicuti voluit: & unicuique seminum proprium corpus. Quam partem Apostolici typi venustissimè illustrat Tertullianus in libro de resurrectione carnis: Scribitur solummodo granum, inquit, sine folliculi veste, sine



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

fundamento spicæ, sine nutrimento aristæ, sine superbiâ culmi : Exurgit autem copiâ generatum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & usquequaq; vestitum. Hæc sunt ei corpus à D E O aliud, in quod non abolitione, sed ampliacione mutatur. Hæc ille. Ad quem etiam modum nostra hæc corpora, terræ mandata & corrupta, resurgent in potentiâ ὃ φυσικὰ, ἀλλὰ πνευματικὰ. Planè enim & significanter τὸ φθαρτὸν τῆτο, ait D. Paulus. Quæ verba Theodoretus suo quodam Dialogo insigniter urget & ponderat, sic scribens: ὁρᾷς τίω ἀκρίβειαν τὸ θνήσκον τῆτο, ἔδειξε δεικτικῶς, ἵνα μὴ ἄλλης νομίσης σαρκὸς ἀνάστασιν. Quod ita interpretari conati sumus: Vides accuratam expreſsionem, Mortale hoc, quasi digito extenso monstravit, ne putes alterius carnis (præter hanc quam circumfers) resurrectionem.

Quid prohibet? inter alia argumenta neutiquam dubia, quæ confirmant persuasionem piorum animis altè infixam, de redituro aliquando in corpora emortua vitæ sensu: quo minus huic quoq; considerationi aliquid tribuatur. Compertum habeo, corpora humana jamdudum extincta, exsanguia, omniq; vitali spiritu carentia, etiam post longum temporis intervallum, eundem subire, ac stillare sanguinem.

Libet ejus rei duo exempla certò cognita hoc loco commemorare. Unum factum recordor, Christiernum II. ejus nominis Regem Daniæ mihi narrare. Aulicorum suorum quidam tempore vespertino, cum lis inter  
eos



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII. 6

eos exorta esset, luminaribus extinctis, stricto pugio-  
interemptus est in conclavi, in quo tunc temporis præ-  
ter Regium cursorem adhuc undecim aut duodecim  
aulici nobiles convenerant. Cum autem de cædis au-  
tore non constaret, ac nobiles culpam in cursorem con-  
ferrent, Rex verò cursorem, quem singulari favore am-  
plectebatur, existimaret extra noxiam esse, & nobiles  
contra cursorem conspirasse: omnes in conclavi dicto  
congregatos simul custodiæ tradi, ac prope corpus in-  
terfecti listi, singulosq; manum dextram nudo illius pe-  
ctori admoveere ac jurato se purgare coëgit, quòd extra  
culpam patratae cædis essent constituti. Id cum à nobi-  
libus ordine fieret, corpus occisi nullum signum ema-  
nantis cruoris edidit. Accessit tandem cursor, admisi  
sceleris conscius: Hic mortui pedes primùm dolosè de-  
osculatus est, ut eum hac ratione ob commissam cædem  
placaret: deinde verò manu ad exanime pectus defun-  
cti applicatâ, statim sanguis, tam ex vulnere, quàm ex na-  
ribus cadaveris magnâ copiâ erupit, necisq; autorem  
ostendit. Cursor hujusmodi sanguinis inditio convi-  
ctus, conscientiaq; sceleris adactus, facinus confitetur.  
Proinde mandato Regis capitis supplicio statim est af-  
fectus.

Idem factum illustrissimus Dux Megapolensis Udal-  
ricus Sophiæ Danorum Reginæ pater, Regem Christi-  
ernum commemorantem audivit, quod tibi percon-  
tanti oportune, opinor exponet. Quin & hodierno die  
vivunt nonnulli nobiles, qui de hac cæde fuerunt accu-  
fati. Posthæc Rex Christiernus eum modum explorandi  
cædum autores in toto regno suo observari passus est.

Testari



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

Testari videtur de consimili admirando inditio reorum homicidii dictum Genes. 4. Clamavit vox sanguinis fratris tui de terrâ, &c.

Addam exemplum alterum, quod patris mei tempore Itzehoæ accidit: Cuidam viatori in itinere interfecto, quod de latrocinii autore non constaret, manus resecta, ac in carcere Senatus Itzehoensis ex tigno in fumo suspensa est. Tandem cum fortè fortuna post decem annorum intervallum, autor cædis in eam domum se recepisset, manus jamdudum ex sanguis & arida, sanguinem ex alto in mensam subjectam stillare cœpit. Ex quo conjectura facta est hominem latrocinii reum existere. Carnifex visa Senatui indicat: Hic homine in vincula coniecto, patrem meum accersit: Latro, eo præsentem, evidens judicium divinum agnoscens, cædemq; ante multos annos à se perpetratam affirmans, justam sceleris pœnam, quam sibi infligi ultro petit, persolvit.

Hujusmodi exempla ego cum multis aliis in hisce aliisq; regionibus aliquando adhibitus, emergentibus ejus generis casibus, observavi, quæ scio verè ita se habere. Nec dubito, quin tu quoq; eadem Rostochii observaris.

Vidimus etiam corpora mortua interdum emitte-  
re sanguinem, proximis cognatis ad ea accedentibus.

Jam, ut iterum dicam, quid vetat, præter luculenta resuscitationis mortuorum testimonia, sacra hæc quoq; exposita, inter alia illustria resurrectionis vestigia, quæ DEUS impressit toti rerum naturæ, assumere, atq; inde colligere? si in corpus mortuum, quod omnis  
sensus



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

sensus & sanguinis experts, & jamdudum arefactum est, sanguinem redire ac inde emanare cernimus: si lana singulis mensibus lumen amissum recipit: si appetente vere terra reducit gramina, flores, fruges: si arbores frondibus, floribus, fructibus, vestiuntur: si insectis frigore hyberno extinctis vigor & vita restituitur: si Phoenix ex flammâ & cineribus, ut dicunt, renascitur: Nam perit ut vivat, se tamen ipse creat: Æternam vitam mortis adepta bono, &c.

Profectò in dubium vocari nequit, corpora humana ad vitam æternam divinitus quoq; resuscitari, cumq; animâ iterum copulari posse.

Quâ quidem spe ac fiducia secururæ alterius vitæ beatæ nisi me erexissẽm, & cogitassẽm unicuiq; certum vitæ terminum præfinitum esse à DEO, quem præterire nemini liceat, ac DEO nos ex hac statione evocanti parendum esse, jamdudum perturbatione animi atq; dolori succubissẽm, & cum Cicerone dixissẽm: Cedo & manum tollo: quod ipsum tamen virum gravem haud decuit. Non enim paucæ nec exiguæ adversitates ex frequentia funerum, intra aliquot annorum spacium, me exercuerunt. Nam non solum parentes meos, & fratrem unicum Paulum, sororemq; unam me juniores: sed etiam præter filiam quatuor filios amisit: quorum duo eò ætatis processerant, ut tum Regibus ac Principibus operam suam utiliter jam navare: tum etiam mihi ætate confecto, meisq;, præsidio ac ornamento esse potuerint: ac majore quidem, si DEUS Opt. Max. longiorem vitæ usuram ipsis concessisset: ut interim silentio præteream fratris filios, ac meos nepotes cum

C

nepti-



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

neptibus subinde mihi ereptos: atq; inter neptes ante paucos menses Idam ex filiâ Elisabethâ natam.

Præmatura etiam mors serenissimi Regis Daniæ Friderici II. me summoperè commovit, magnâq; mihi luctus acerbitem attulit. At hunc filii Caji casum, quòd novissimus esset, præ reliquis omnibus gravius aliquantulum tuli: Hic enim debitâ obedientiâ, promptissimoq; obsequio, æquè ac cæteri liberi, me singulariter coluit. Accessit, quòd Reverendissimus ac Illustrissimus Archiepiscopus Bremensis, Iohannes Adolphus, Dominus meus clementissimus, decreto stipendio honesto, ipsum in Collegium Consiliariorum Holsatiæ asciverat, præfecturamq; arcis Gottorpiensis amplissimam ipsi commiserat: & quòd meo maternòq; consilio nuptias cum lectissimâ & pudicissimâ filiâ Theodorici Blomii, jam ipsi desponsatâ, brevi celebraturus erat. Quo ex felici rerum successu, in hac senili meâ ætate, non parum subsidii ac solatii, majoremq; amicorum & affinium numerum mihi eram pollicitus. Sed DEO aliter visum est. Acquiescendum igitur juxta exemplum Jobi: & DEO accepta referenda est *Ulexvía*. Cujus hoc præcipuum beneficium interpretor, quòd se, donec essent superstites liberi, morigeros declarârunt parenti utrique. Quocirca illis corporalis vitæ munere perfunctis, divinæ voluntati minimè esse refragandum duxi.

Hujus meæ erga DEUM subjectionis & præsentis animi testimonium complures, qui Cajo filio morienti mecum unâ adfuerunt, abundè satis sunt præbituri.  
Vide-



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

Viderunt enim non pauci, flexis genibus & vero cordis affectu, DE O immortali animam illius me commendare, & oculos placidè confopiti propriis manibus claudere. Plures fuerunt ἀνόπται, quòd ab administratione Regionum negociorum, quibus proximum triduum ab obitu filii consumptum est, in præsentia Serenissimæ Reginae Daniæ, & quibus magnà omnium admiratione Segebergæ interfui, me avocare passus non fuerim: sed singularem adhibuerim animi præsentiam, ac in rebus gerendis, de studio pristini illius mei constantisq; moris remiserim nihil.

Cum funus Bredenberga Itzehoam vicinum in oppidum deduceretur, Legatis Reginae Daniæ & Archiepiscopi Bremensis atq; Antistitis Lubecensis, qui ad honestandam pompam funebrem missi erant, propinquis itidem, gentilibus, & amicis meis, ob commodatam præsentiam suam, consueto orationis filo, in cœmiterio ipse gratias publicè egi. Plerosq; consimilibus casibus confluctantes sæpenumerò ita occupare dolorem cernimus, ut & vox ipsis intercipiatur, & inter singultus atq; suspiria materia sermonis ægrè suppetat. Concioni insuper & exequiis funebribus interfui: & exuvias in avitum monumentum sine animi commotione singulari in præsentia meâ deponi curavi.

Omniò ita faciendum fuit, nisi mei dissimilimum me perhibere, & ab ejus generis subjectionibus, quas, mi Chytræ, præclaras tuâ epistolâ es complexus, abhorrentem, universis me præbere voluissem conspi-



RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.

ciendum. Quapropter ut ita me comparare possem ;  
multiplici consolatione animum tristitiâ affectum non  
tantum obfirmavi : verum etiam mecum mente volu-  
tavi , hujus corporis compage soluto , mihi ad filium Ca-  
jum ( cui ut parentibus , fratri , sorori , & filio Theodorico ,  
oculos propriâ manu compressi , post sumptam sacram  
Eucharistiam , & piâ recordatione meritorum filii DEI ,  
spiritu exhalato ) paulò post emigrandum esse : ac post  
hanc omnibus hominibus communiter propositam  
mortem , nos tandem simul cum illo , bonis omnibus cir-  
cumfluente , cœlestium Angelorum & beatorum cœtu  
conjunctos , vitam perpetuam rursus esse adepturos :  
ac beatæ immortalitatis compotes , jucundissimo con-  
spectu augustissimæ divinitatis in æternum perfruitu-  
ros , inter cœlestes æternitatem , quam nulla temporis  
circumscripção metietur : atq; sic licet mœsti & mole-  
stis infinitis confecti , ex ordine hospitio excessimus :  
latos tamen & recreatos in cœlesti patriâ , corpore  
& animâ , ἐν ῥιπῆ ὀφθαλμῶν rursus esse conven-  
tuos.

Quod ipsum complexus sum , & ad posteritatem  
testatus sequenti inscriptione , quâ sacellum in monu-  
mentum & conditorium patris , matris , filii mei Caji , &  
posterorum , Itzchoæ de integro ædificatum exornavi ,  
ut is etiam locus consolationis aliquid mihi adderet ,  
quem piâ affectione in religiosum converti.

Restat , ut tres etiamnum superstites filios , ac qua-  
tuor filias , cum 20. nepotibus ac neptibus , DEO cle-  
men-

*RESPONSORIA HENRICI RANZOVII.*  
mentissimo incolumes servandos & gubernandos, ut  
sint salutaria organa sibi, & aliis, ardentibus votis assiduè commendem.

Tu quoq; longùm vale, mi Chytræ, bono Eccle-  
siæ & studiosorum usibus: cujus vel unicæ suavitas vi-  
tam propter ingruentes varias molestias alioquin in-  
gratam, reddit utriq; nostrum jucundam. Datæ  
in arce meâ Bredenbergâ. Calendis Junii,  
Anno Christi, CIO. IO. XCI.



C 3

IN.



**INSCRIPTIO SACELLI ITZE-**  
**HOENSIS DE INTEGRO AB HENRICO**  
**RANZOVIO constructi.**

**E**GO HENRICUS RANZOVIVS tri-  
um Daniæ Regum in Ducatibus Vicarius, ex una-  
nimi Dn. Abbatissæ Catharinæ Alefeldiæ & Consulum  
urbis Itzehoæ, ac templi ibidem D. Laurentii Curato-  
rum consensu, quibus ad ædificationem ejusdem 470.  
tetradrachmas dedi, Anno à partu semper virginis 1591.  
ætatis verò meæ 65. hanc ædiculam seu sacellum exstrui,  
DE Oq; trino ac uno dedicari ac consecrari feci, inq; il-  
lud ex avitâ jam penitus repletâ, & nimis angustâ cry-  
ptâ, patris, matris & filii CAJI corpora transferri curavi,  
ut esset tam meipsum, conjugisq; Christinæ ab Hallen  
unicè carissimæ, & posterorum, quàm utriusq; parentis  
& filii conditorium commune. Cum quibus etsi nunc  
non queo loqui: tamen à morte invicem ossa miscebi-  
mus nostra, & quemadmodum in terris viximus vitam  
mortalem, sic iterum resuscitati in cœlis vivemus æter-  
nitatem æternam.

*Condedit HENRICVS monumentum hoc no-  
mine RANZOW  
Prose, proq; sua posteritate domus.*

IN-

INSCRIPTIO SARCOPHAGI,  
QUEM IDEM HENRICUS RANZOVIVS  
mortalitatis memor ex solido lapide excavari, & in  
prænominati conditorii medio, ad se  
in eo sepeliendum poni  
curavit.

IN hoc Sarcophago conditus est HENRI-  
CUS RANZOVIVS, Johannis filius, Henrici ne-  
pos, Bredonis pronepos, CAJI abnepos, Regis Daniæ  
Christiani III. Friderici II. & Christiani IIII. olim vi-  
ces in Ducatibus Slesvicensi, Holsatiæ & Dithmarsia  
gerens, Præfectus arcis Segebergensis, Dominus in Bre-  
denberg, Ranzow, Ranzovisholm, Nutschow, Mel-  
beck, &c. qui vixit Annos                      mortuus Anno

אִי־בֵּיט

וְאֵיךְ יִדְעֵתִי גְאֻלִּי תָּגִיד וְאִתְּרוֹן עַל-עֵקֶר יְקוּם:

Job. 19.

Et ego scio Redemptorem meum vivere: & is  
novissimo die me è pulvere excitabit.

HEN-



HENRICUS RANZOVIUS  
Vicarius Regius ad imitationem Pon-  
tani de suo Sarcophago.

Vivus lapideum hunc mihi parari lectulum,  
In quo jacerem mortuus.

Noli obsecro me mortuum lacescere,  
Qui vivus obfui nemini.


HENRICUS ille namq; sum RANZOVIUS  
Regis Dani VICARIUS.

Quem plurimum plures amant Principes,  
Suiq; passim subditi.

Quem docti honestarunt viri, cumq; improbis  
Laude cumulaverunt probi.

Nunc, HOSPEX, ecquis sim, aut mage fuerim, tenes:  
Veruntamen qui tu fies,

Non cognitum est mihi, igitur ut te ipsum bene  
Notas rogo. His longum vale.



STM.

SYMBOLVM HENRICI  
RANZOVII.

MORS HUIUS VITÆ, ÆTERNÆ VITÆ  
NATALIS, cum signo Cranii.

Grana velut putrefacta novas meditantur aristas,  
Corpus sic gignent ossa sepulta novum.  
Nempe ex interitu fluit instauratio nostri,  
Principiumq; boni finis acerbus habet.

HUIUS RANZOVICI SYM-  
BOLI ÆQUIPOLLENTIA.

Mors vitæ principium.  
Interitus instaurat.

Corruptio generat.

Finis præteriti, principium futuri.

Victus morere.

Miseria felicitatem parit.

τὸ παρὸν ἔσθ' ἐν, τὸδε μέλλον ἀπαντα.

Futura præsentia non videbunt, sed præsentia futura.

Induviæ exuviarum non erunt memores.

πάντα παλαιὰ νέα.

Quæ omnia absq; Christo rationi erunt aut absurda aut  
paradoxa.

D

Præ-



*Prudentius.*


Mors hæc reparatio vitæ est.

*D. Bernhardus.*

Mors piorum est finis malorum, & janua ad vitam.

*Alind D. Pauli ab Eitzen.*

**V**iventes morimur, morientes vivimus, ergo  
Vive memor mortis, mortemq; pavescere noli.  
Vita malis plena est, pia mors pretiosa quies est.  
Vitam mors sequitur, sed mortem vita beata.  
Mors nobis lucrum, quia vita est Christus Iesus.



FN-

12

**INSCRIPTIO MARMOREI**  
EIVSDEM HENRICI RANZOVII MONUMENTI

**H**ENRICUS RANZOVIVS Ducatum Regiorum in Holsatia Præfidens & Gubernator, præter reliqua parentibus filiis & filiabus erecta monumenta, etiam singulare marmoreum, cujus typus hic subjectus est, in pariete templi Itzehoënsis sibi parari, & illud reliquis majorum Epitaphiis adjungi vivens fecit, in quorum ipse, tum ejus uxor, filii filiarumque omnes sacrosanctam Trinitatem venerabundi intuentes, ad vivum expressi sunt, cum inscriptione tali:

DEO TRINO ET UNI SACRUM.

**H**ENRICUS RANZOVIVS IOHANNIS filius, Regiæ Majestatis Daniæ in Ducatibus locum tenens, Dominus in Bredenberg, Drakenburg, Rintellem, Wellingsbuttel, Hatstedt, Tuschêbeck, Ranzovicholm, Wandesbeck, Bucken, Melbeck, Redingstorp, Ovendorp, Nutschow, Nuchel, Gronow, Stelnow, Erfardt & Rantzow, hoc monumentum in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ac memoriam majorum suorum, juxta altare S. Trinitatis sepultorum propter loci commoditatem hic poni curavit, Anno 1578.

**MORUS DE MORTE.**

**N**Os semper mortem procul, & procul esse putamus:  
At mediis latet hæc abdita visceribus.  
Paulatim morimur, momento extinguimur uno,  
Lampas ut hic oleo deficiente perit.

D. 2.

Na-



Nascendo morimur, vita  
Vita hæc, mors: mor



Ranzow




Ranzow



Borkwold



W. Rorp



Franciscus Ranzow, Theodor Ranzow,  
Benno Ranzow, Casus Ranzow,  
Jacobs Ranzow, Johannis Ranzow,  
Gerhardus Ranzow



Handwritten text in a Gothic script, likely a list of names or titles.



altera morte paratur  
tis funera, finis erunt





PRECES HENRICI RANZOVII  
pro felici ex hac vita exitu.

**A**lme pater, vitæ qui das primordia nostræ,  
Quiq; sacro nob s numine temper ades.  
Fac etiam vitæ felix sit ut exitus hujus,  
Ultima nec mortis sit gravis hora mihi.  
Patria, Fama, Domus, Spes, Rex, Fortuna valete :  
Sat mihi, sat vixi, Cimbria clara, tibi.  
Dissolvi cupio vitæ pertæsus, & esse,  
Cum Christo : Christo dulce vocante mori.

*Ejusdem.*

**S**at mihi, sat laudi, caris vixi sat amicis :  
Mors mihi sperati muneris instar erit.  
Ergo Fama vale, Spes & Fortuna valete :  
Tu quoq; Rex clemens, Patria, Stemma, vale.

A L I U D.

**V**ivo, pòst moriar, sic fert divina voluntas,  
Hæc quæ vult, eadem me quoq; velle decet.  
Vita mihi melior continget, temporis hujus  
Vita, quam vixi, vita operosa fuit.  
Quam spero vitam, Christi mihi sanguine parta est :  
Hac dabitur læta pace Deoq; frui.

*Euripides.*

**I**o mors, quietis portus & salus, veni :  
Veni, mederis sola quæ nostris malis.

*Ex*

**Q**uas olim donârat opes, has abstulit igne,  
 Omnia pro libito dans adimensq; DEUS.  
 Si bona de Domini manibus suscepimus : æquum est  
 Forti animo immissum sustinuisse malum.  
 Ingressus terram nudus de ventre parentis,  
 Nudus in effossum rursus inibo solum.  
 Rursum expectabunt Dominum posita ossa sepulcro :  
 Idem ego, non alii : carne videbo DEUM.  
 Sit nomen Domini benedictum : Nam dat & aufert,  
 Reddit & occidit, vivificatq; DEUS.

## Aliud de fragilitate vitæ.

**V**ita piis mors est, mors vita, hinc vivere justus  
 Nescit, sed credit vivere cum moritur.  
 Illa abiit primum, mox tuq; omnesq; sequemur :  
 Ire omnes unam cogimur in patriam.  
 Illa abiit, moneat semper nos esse paratos,  
 Ne nos incautos opprimat ille dies.

## A L I U D.

**N**atus humo nutritur homo, per humũq; movetur,  
 Inq; reversus humum carne resurget humo.  
 Sortis enim humanæ est, non semper vivere : sed sic  
 Vivere, ne mors sit pœna futura, DEI est,

Petrus Lindebergius.

## A L I U D.

**M**ors nihil à nobis nisi morbum & crimina tollit :  
 Surgit homo, morbum & crimina linquit humo.

ELO-



# ELOGIVM CAII

Ranzovij.



CAIUS Ranzovius, Henrici Regij in ducatibus Holsatiæ Vicarij ac Consiliarij filius, natus est A. C. 1562. 9. Augusti, horâ 2. min. 12. post meridiem. HIC in tenerâ ætate præceptori privato in disciplinam traditus, semina literarum feliciter hausit. Deinde in aulam Illustrissimi Principis Holsatiæ Adolphi susceptus, unâ cum Principibus Holsaticis D. Friderico & D. Philippo educatus & liberalioribus artibus imbutus fuit. Ut autem studia humaniora ulterius persequeretur, ac linguas etiam peregrinas addisceret, à parente in Galliam missus est: ubi per hyemem Lutetiæ moratus, sequenti vere, duobus comitibus & aliquot nobilibus se conjungens in Angliam traiecit. Hac ferè totâ perlustratâ ac statu aulæ Anglicanæ explorato, in Galliam est reversus. Hac quoq; penè universâ peragrâtâ, in patriam se recepit, ubi Metropolitanæ Ecclesiæ Hamburgensis Præpositus & Canonicus est electus. In Serenissimi Daniæ Regis Friderici II. aulam, ubi Danicam linguam didicit, se postea contulit, à quo A. C. 1587. missus est ad Illustrissimum Ducem Parmensem, cum literis concernentibus tractationem de pace, inter potentissimum Regem Hispaniarum, & Serenissimam Reginam Angliæ, ac Belgicos Status. Rebus ibi dextrè confectis à

A 2

Duce



Duce Parmensē catenā aureā, ejusq; effigie donatus benignissime ablegatur. Iter ingressus, tribus ab urbe Bruxellā miliaribus, per 22. equites Bergenses, 9. die Januarii captus, omnibusq; suis, quas tunc secum deferebat, fortunis spoliatus est. Sed literis Ducis Parmensis resignatis, agnitus à Reginae Angliæ Capiteo, & ad status inferioris Germaniæ missus, ab his liberatur, & rursus ad Regem Daniæ, qui eam ob causam ad illustrem Baronem Angliæ Peregrinum de Willugbui literas sequentis tenoris dederat, dimittitur: qui ejus captivitatis & injuriæ vindicandæ causâ naves Hollandicas 600. in freto Orfund detinuit, donec persolverent 30000. thalerorum. Ex eâ summâ Cajo Ranzovio 10000. pro perpessâ captivitate & detentione ex speciali gratiâ Rex donavit. Post obitum Regis Friderici, mandato Reginae, Regiam filiam, quæ Illustrissimo Principi Brunsvicensi Henrico Julio elocata est, comitatus, in aulâ ejusdem Ducis aliquandiu substitit. Inde evocatum Reverendissimus & Illustrissimus Archiepiscopus Bremensis Episcopus Lubecensis Johannes Adolphus, Dux Holsatiæ &c. in numerum Consiliariorum Holsatiæ cooptavit, & administratorem amplissimæ præfecturæ Gottorpiensis constituit. Ad eam suscipiendam contendens, & thalami consortem Diderici Blomij filiam sibi desponsatam ducere volens, in itinere febrili paroxysmo est correptus. Invalescente morbo, in arce paternâ Bredenbergâ sacram cœnam cum usurpâset, & se DEO propitio firmâ fide commendâset, spe resurrectionis & vitæ æternæ secuturæ fretus, non sine acerbissimo dolore ac lacrymis suorum, nec absq; luctu publico totius Holsatiæ

E

satiæ



ELOGIUM CAII RANZOVII.

fatia, quæ per ejus immaturum obitum singulare decus ac præsidium amisit, inter complexus parentum ac propinquorum piè placideq; obdormivit, Anno Domini 1591. die 20. Aprilis, circiter horam 7. vespertinam. Dum vivebat, piè, modestè & sobriè vivebat, nemini gravis, nemini noxius, sed talis omnino, qui, quod de Amphiarao Græcus Poëta scripsit: Non videri, sed esse bonus vellet. Nihil eo erat probius, nihil comius, nihil munificentius, nemo amicorum observantior, nemo sodalium studiosior, nemo juvenum humanior, & quod majoris est modestiæ, non solum pares ferebat facile, sed etiam humiliores sibi æquabat. Ex vultu eius enitebatur bonitas, ex incessu gravitas, ex verbis comitas, & senilis prorsus prudentia. Corpus in Sarcophagum, quem pater Henricus sibimetipsi parari jusserat, illatum, ac in sepulcrum avitum Itzchoense depositum fuit, anno eodem, die 7. Maij. Sed inde postea in conditorium, quod parens Henricus Ranzovius, consensu Abbatissæ Catharinæ Alfeldiæ, Consulium Itzchoensium & Curatorum templi ad S. Laurentium, propter cryptæ avitæ angustias extrui curavit novum, cum avi, aviæq; corporibus est translatum. Sepulturæ interfuerunt Serenissimæ ac illustrissimæ Reginæ Daniæ SOPHIÆ Friderici II. Regis relictæ viduæ, & Reverendissimi illustrissimiq; principis Joannis Adolphi, Archiepiscopi Bremensis & antistitis Lubecensis legati, Henricus Ranzovius pater, ac præter defuncti fratres & affines, qui omnes ferè Regum Daniæ vel Ducum Holsatiæ sunt senatores, ac præfecti amplissimi alii ex nobilitate complures.

D. S.

COPIA





COPIA LITERARVM SERE-  
NISSIMI DANIAE REGIS FRIDERICI  
II. ad Illustrem Baronem de Willugbui Re-  
ginae Angliae D. Elisabethae Bergij ad Zo-  
mum Gubernatorem, de dimissione Caij  
Ranzovij scriptarum Scanderburgo, XI.  
Februarij.

A. C. 1587.

FRIDERICUS DEI GRATIA  
*Dania, Norwegia, Wandalorum Gothorumque*  
*Rex, Dux Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac*  
*Dithmarsiae, Comes in Oldenborch &*  
*Delmenhorst.*

**A** fide dignis hominibus ad nos defertur,  
anicum nostrum ministrum Nobilem di-  
lectum nostrum fidelem Cajum Ranzo-  
vium, ab Illustri Principe Parmensi, quo  
eum ablegaveramus, redeuntem, à mi-  
litibus, aut praedonibus potius quibus-  
dam, inter Bruxellam & Coloniam interceptum &  
E 2 capti-



COPIA LITERARVM DE DIMISSIONE CAII.

captivum abductum esse: Hunc verò nos non nostri privati commodi causa, sed cum literis, quæ pacem provincijs Belgij, quam non sine magno labore & sumptu conficere studemus, procurent, tesserâq; salvi conductus & latinè & germanicè scriptâ, nostrâq; manu & sigillo obfirmatâ, dimiseramus. Ideoq; sane, uti par est, non parum indignè ferimus, nullo respectu ab hominibus illis contra jus gentium tam insigniter peccatum, neq; probaturam hoc esse factum Serenissimam Angliæ Reginam, sororem nostram carissimam, cujus nomini tamen hi prædones obstricti dicuntur, quinimo pro merito per suos ministros punituram, certò confidimus. Cum verò simul hoc quoq; nunciatum sit, ministrum nostrum Ranzovium Bergam ad Zomum, quam administrationi tuæ creditam existimamus, perductum esse: tametsi de benevola tua voluntate erga nostros minime dubitemus, proprioque motu operam daturum credamus, quò dictus Ranzovius liber & incolumis ad nos redeat: hoc tamen ipsum clementer à te, ut facias, simulque ut militibus illis interdicas, ut justis potius virtutibus quàm prædonum artibus famam sibi parare studeant, postulamus. Id enim nisi fiat, nos vicissim pro ratione consilium capiemus, quo nostri deinceps tutò magis itinera sua nostro jussu instituta conficere possint. Cæteroquin Regiam nostram benevolentiam tibi deferimus.

Data &c.

\*\*

\*

*Jn-*

17  
*Inscriptio monumenti Caij  
Ranzovij.*

SUBSISTE VIATOR

&

**HENRICO RANZOVIO TRIVM**

Daniæ Regum in Ducatibus Vicario, viro optimo,  
patri moestissimo, pro pietate tua condolecto.

Hic conditur

**CAIVS**

Ex nobilissimâ & antiquissimâ Ranzoviorum  
gente apud Cimbro orientis:

Spes patris & patriæ, matris solamen,  
columen familiæ:

Qui Reverendis: Bremensis Archiepiscopi, Holsatiæ  
Ducis Johannis Adolphi Consiliarius, & arcis  
Gottorpiæ PRÆFECTUS,

In ipso ætatis flore,

In medio vitæ cursu,

Cum, hebdomatico quarto completo,

vixisset annos octo & viginti,

menses octo, diesq; undecim,

Pro thalamo, quem cogitabat, tumultum  
adit.

A. C. CIO. IO. XCI.  
XX. Aprilis.

BREDEMBERGÆ.

*Petrus Lindenbergius.*

E 3

EPITAF



EPITAPHIV M

*eidem Cajo Ranzovio erectum.*

Magnanimi Herois, Ranzoo stemmate creti,  
Præfens, quem calcas, continet ossa locus.  
Cui pater HENRICUS, cui clari sanguinis ortus,  
Cui nomen CAJO, Cimbriaq; est patria.  
Nomine qui Regis Danaûm legatus abivit,  
Ad Parmæ illustrem, non sine honore, Ducem.  
Quem Princeps Cimber, nunc præsul Ianus Adolphus  
Bremenfis, voluit consilium esse suum.  
Et fidei illius Gottorum tradidit arcem,  
Quâ vix Holfatico pulcrior ulla solo.  
Cui sponsata fuit Diderici filia Blomî,  
Quæ nunc tristis habet pro thalamo tumulum.  
Nondum complerat decimam trieterida vitæ,  
Illum cum rigidæ mors daret atra neci.  
Cælica pars cælum subiit, pars terrea terram,  
In quam post mortem summus & imus eunt.  
Qui legis hoc nostrum carmen funebre, viator,  
Ut mori bene, in tempore disce mori.

ALIVD

*eidem ab eodem.*

Vincor materiâ, & citò tu vis ire viator,  
Expeditam verbis, ne mora longa, tribus.  
Hac jacet illustri CAJUS RANZOVIUS urnâ,  
Filius HENRICI, cætera noscis, abi.

PARENS

## PARENS FILIO.

Siccine mi CAI, ô CAI dulcissime fili,  
Solvere nunc cogor justa suprema tibi.

Siccine mi fili, ô fili carissime CAI,

Nunc cogor natum te sepelire pater :

Te juvenem sepelire senex, tibi condere bustum,

Vivus & extincto pro thalamo tumulum.

Qui mihi debueras naturæ lege superstes

Solvere, quæ cineri munia solvo tuo.

Cui sextus jam nunc & sexagesimus annus

Labitur, & vitæ meta peracta ferè est.

In terris contra, cum tu, fili optime, nondum

Vitæ complèsti bis tria lustra tuæ.

O præmaturi cineres, ô funera cruda,

O placidè liceat mi, properèq; mori.

Sat patriæ & natis, hoc mundi in carcere vixi,

Dissolvi cupio, cum DEO & esse meo.

Attamen haud mea, sed fiat divina voluntas,

Cui me trado volens, subjicioq; libens.

## FILIVS PATRI.

Ah pater exosis quid cælum fletibus imple,

Desine me nimium desine fieri pater.

Nemo hominum moritur casu, neq; nascitur ullus,

Pendet at à solo vitaq; morsq; DEO.

Quem penes est solùm largiri vivere longum,

Quem penes est solùm funera mœsta dare.

Cujus, ut ipse vides, facta est immota voluntas,

Cui placuit, rigido traderem ut ossa solo.

Ille



ELEGIA CONSOLATORIA LINDEBERGII.  
Ille iterum in vitam me nigrâ ex morte reducet,  
Meq; meæ matri, restituetq; tibi.  
Cum tuba cælestis feriet clangoribus orbem,  
Hocq; triplex mundi flamma resolvat opus.  
Quare age care pater durum compesce dolorem,  
Teq; tibi serva, dum finit ipse DEUS.  
Nil mihi singultus, lacrimæ nil proficit imber,  
Cum factum infectum reddere nemo queat.  
Sufficiunt tumuli &, quam præstas, patria storge,  
Abs te nil aliud, mi pater, oro, vale

P. L.

*Ejusdem Petri Lindenbergj  
Elegia consolatoria, de obitu filij  
viriliter ferendo, ad  
Henricum Ranzovium U. R. patrem.*

**S**i toties morimur, quoties nos pignore privant  
Fata, velut docto Publius ore refert.  
Heu quoties vixisse Heros te nobilis ajam,  
Pignoribus toties qui viduare tuis.  
Primus de natis THEODORUS lumina claudit,  
Quo stat Vandaliæ pulcra Lubeca caput.  
Deinde Palatinas ubi Neccarus alluit arces,  
JANUM præproperè sustulit atra dies.  
Post natarum una arctoo CATHARINA sub axe,  
Ante diem celeri morte perempta cadit.  
Mox annis animoq; vicens FRIDERICUS ab ictu  
Conficitur Sclopi Gallica castra sequens.

Tan-



ELEGIA CONSOLATORIA LINDEBERGII.

19

Tandem etiam post tot natorum funera CAJUM

Hocce tuo in senio mors truculenta rapit.

Prætereo neptes, sileo quoq; pignora fratris,

Quorum non pauci succubere neci.

Prætereo agnatos, quorum virtutis amore,

Vita tibi dulcis, mors onerosa fuit.

Haud igitur mirum, cæli quod limen anheles,

Et rores fletu sidera sicca tuo.

E luctu in luctum cum coniecteris amarum,

Semper & obducto vulnere vulnus alas.

Quis sese in tali fortunâ temperet? ah quis

Non tecum falsis se maceret lacrimis?

Verum cum fuerit fati hæc immota voluntas,

Ipsiusq; DEI velle necesse feras.

” Adversus stimulos durum est impingere calces,

” Durius adversus fata movere manum.

” Fit facile & subito, fieri quod fata requirunt,

” Fit facile & subito, quod cupit ipse DEUS.

” Qui quod agit, bene agit; quod & ordinat, ordinat æ-

” Et justus justè quod facit omne facit. (què,

” Qui, velut est visum & placitum sibi, cuncta gubernat,

” Sive ea grata tibi, sive molesta tibi.

” Non absq; illius nutu passerulus unus

” Decidit in durum, corpore læsus, humum.

” Neve aliquis nostri capitis de vertice cirrus,

” Immo nec minimus, ni volet ille, pilus.

Quare age Ranzoi, Domino te subjice CHRISTO,

Et placidus placidè hoc pergrave perfer onus.

” Hoc grave perfer onus, patientia nobilis herba est:

” Sed non hanc ipsam quilibet hortus habet.

F

Atq;



ELEGIA CONSOLATORIA LINDEBERGII. ✓

Atq; ut sæpe alios, sic hunc quoq; pelle dolorem,  
Qui levior cunētis jure putandus erit.  
Huic etenim nato, reliquis quod fata negârunt,  
Extremum dixti perpetuumq; vale.  
Huic soli assidens, reliquis quod fata negârunt,  
Lumina clausisti jam moritura pater.  
Hunc solum solùm, reliquis quod fata negârunt,  
Omnibus ex natis tumba paterna tegit.  
Queis simul adjicio, quod Christo fidus adhærens  
Mortuus in verâ & salvificante fide est.  
Ta; illum rursus rediviva carne videbis,  
Ultima cum terris fulserit illa dies.  
Interea posito fletu, positoq; dolore,  
Et tu, qui similis bulla, memento mori.  
Mors certa est, fortuna levis, breve vivere nostrum,  
Pulcrum manè rubens, vespere triste jacens.  
Ibimus hinc omnes, omnes hinc ibitis, ibunt  
Quæ super & subter suntq; solum atq; salum.  
Felix qui tandem supremam funeris horam  
Implet fine bono, claudit amore DEI.  
Hoc Jobi dicto, Dominus dedit, abstulit idem,  
Ut Domino placuit, cunēta ita facta cadunt.

*Aliud Epitaphium ejusdem.*

Es ist auff Erdt mit vnserm thun  
Ein kurze Zeit / vnd gleich ein Num/  
Wenn wir vermeinen erst zu leben /  
Müssen wir vns dem Todt ergeben /

Da



Da hilfft kein kunst / hilfft kein gewalt /  
 Sterben muß beide Jung vnd Alt:  
 Sieh doch an diesen Jungen Heldt /  
 Es halff nichts / er muß auß der Welt.  
 Wiewol von geschlecht sehr groß er war /  
 Mit Ehr / Kunst / Tugendt geziert gar.  
 Darumb o Mensch dich sterblich acht /  
 Sündige nicht dein Endt betracht.

DEFINITIO VITAE

*Petri Lindenbergj.*

**V**ita quid est? Est mortis iter cumulusq; malorum,  
 Cumq; labore dolor, cumq; dolore labor.

*Memoria Cajæ Ranzovii.*

**C**ur dolor ex morte est? Certè est in funere foenus,  
 Cum morimur, cælum nos capit, alma quies.  
 Terra dat hospitium, patrias vita altera sedes,  
 Hic luctum: in cælis gaudia justus habet.  
 An non deflendus potius qui nascitur infans?  
 Editus objicitur pluribus ille malis:  
 Contra cum plausu rigidam mittendus in urnam,  
 Qui juvenis fati lege solutus obit.  
 Hoc dictu facile est, qui verò ita mœsta suorum  
 A se dimittat funera, rarus erit.

F 2

Quod



MEMORIAE CAII RANZOVII.

Quod vix Ranzovius poterit, quem fama celebrem,  
Quem virtus magnum, quem facit aula gravem.  
Angit Nati obitus, de quo spes magna, parentem:  
Hoc mage quod longum vivere dignus erat.  
Vixit in officio nulli gravis, omnibus æquus,  
Ante annos animum, magnaq; corda gerens.  
Signaq; plura dedit patriæ virtutis, ut illam  
Consilio æquaret, moribus, arte, fide.  
Sed quæ restabant majora in rebus agendis,  
Heu dolor illa dies abstulit una patri.  
Ergò homo dum sano tibi sunt in corpore vires,  
Quæ tibi promittis tempora? dicce mori.  
" Vita est instabilis, nec constans, plena laborum,  
" Hæc perit, ut prati flos cadit, umbra fugit.

*Bartholomeus Rhodomanus  
Borussus.*

ELEGIA

*Ad generosum & nobilem virum D. Henricum  
Ranzovium Proregem in Ducatibus  
Holsatiæ &c. lugentem immaturum  
filii sui Caji obitum, Conso-  
lationis ergò*

*Scripta*

*A*

GEORGIO VVIPPERMANNO  
PASTORE SEGEBERGENSI.

*Imparibus*



ELEGIA CONSOLATORIA VVIPPERMANNI. 21

**I**mparibus numeris Hymenæum fortè parabam  
In laudem CAJI scribere RANZOVII:  
CAJI, quem genuit, quem summo fovit amore  
HENRICUS, claræ nobilitatis eques.  
Tum mihi, nescio quis, largè flens nunciat ore:  
Hei noster Cajus fata suprema tulit.  
Ac vitam cum morte suam mutavit acerbâ,  
Qui multos annos vivere dignus erat.  
In luctu pater est, nec tædas ille jugales,  
Sed nato tristes hei parat exequias.  
Pròh dolor hic rerum status est. Epicedion ergò  
Conveniens Cajo, non Hymenæus erit.  
Obstupui primùm fateor, vox faucibus hæsit,  
Oraq; sunt lacrimis hei madefacta meis.  
Cum mihi mens rediit, sic dictis ora resolvi:  
Hei mihi quas turbas invida Parca facit.  
Dum sine respectu tollit juvenesq; senesq;  
Nec, qui cuncta potest, impedit ista DEUS.  
Sicne decet reprobis longam concedere vitam,  
Ac immatura tollere morte bonos?  
His ego dum mœstus querulis indulgeo dictis,  
Incusans justis iudicis acta DEI:  
Accedit pietas, dextram mihi vellicat aurem,  
Os jubet in terram ponere, sicq; refert:  
Carpere non fas est, quidquid divina voluntas  
Rebus in humanis ordinat atque facit.  
Ergò file scriptumq; para, mœstissimus eheu  
Quo pater in luctu se recreare queat.  
In duris mittit si quis solatia rebus,  
Sinceræ præstat religionis opus.

F 3:

Hinc



ELEGIA CONSOLATORIA VVIPPERMANNI.

Hinc, Henrice, tibi, Prorex ac nobilis Heros,  
Carminis elucet fama caputq; mei.  
Hos elegos mitto, quò sit medicina dolori,  
Quem fecit nati mors inopina, tuo.  
Ne tuus excedant metam luctusq; dolorq; :  
Sed verbo summi sint moderata DEI.  
Non peccat, quisquis defunctum luget amicum :  
Nam luctum suadet pagina sacra pium:  
Ac exempla refert moderati plurima luctus,  
Tempore quæ tristi sunt meditando piis.  
Stoica duricies nostris à mentibus absit,  
A verbo summi discrepat illa DEI.  
Namq; Deus storgas nobis insevit, amoris  
Flagrantis nexus, pro bonitate sua.  
Hoc ex fonte fluunt lacrimæ, luctusq; dolorq; ,  
Cum mors sub leges nos vocat atra suas.  
Nec tua, dum mœres ob chari funera nati,  
Culpari meritò mens generosa potest.  
Attamen hunc casum moderatè ferre memento,  
Te scito Patriæ totius esse Patrem.  
Hujus, si propriam contemnis, parce salutis :  
Cimbria nam sine te salva manere nequit.  
Et nunc per summi numen venerabile patris :  
Per Christum, cujus turba redempta sumus :  
Perq; animam Caji, quæ nunc erepta periculis  
In Christi placido vivit ovatoq; sinu :  
Obsecrat hei luctu te squalida Cimbria, mortem  
Ut non acceleres ipse dolore tibi.  
Non igitur totum, Prorex, te trade dolori,  
Sed patriæ serva te, precor, ipse tuæ.

Tupa-



Tu patriæ currus, tu lux, auriga, salusq;  
 Deq; tua pendet nostra salute salus.  
 Ergò, res quantum patitur, moderare dolorem:  
 Morigeros etenim nos decet esse DEO.  
 Hic solus mundi determinat omnia rector:  
 Ipsius ex nutu nascimur & morimur.  
 Qui putat incerto volui mortalia casu,  
 Fallitur, & nil, se quo tueatur, habet.  
 Quàm vilis pretij res est passerculus unus:  
 Attamen in terram non cadit absq; DEO.  
 Nos magis esse DEO curæ quisnam neget? ergò  
 Sunt animo placido cuncta ferenda tibi.  
 Cum bona sit semper cunctis divina voluntas  
 Anteferenda bonis, anteferenda malis.  
 Et quia transegit vitæ benè filius annos,  
 Haud poteris vitæ de brevitate queri.  
 Sat vixit, benè qui vixit, moriturq; beatè, ce  
 In salvatoris cognitione sui. ce  
 Vitaq; non hæc est meritò longæva putanda,  
 Complures annos quæ numerare potest:  
 Sed quam commendat pietas, prudentia rerum,  
 Et virtus cunctis anteferenda bonis.  
 Talis vita tui, Prorex clarissime, nati,  
 Perbrevis illa quidem, sed sine labe, fuit.  
 Non illi pietas, non defuit inclyta virtus,  
 Virtutisq; comes gloria, fama, decus.  
 Atq; fuit rerum prudentia major in illo,  
 In reliquis ætas quàm juvenilis habet.  
 Quàm fuerit constans, fidusq; in rebus agendis,  
 Danorum locuples regia testis erit:

Ac Bru.




ELEGIA CONSOLATORIA VVIPPERMANNI.  
Ac Brunopolitana domus : nam filius illic  
Virtutis prompsit plurima signa suæ.  
Hinc est Gottorpâ factus Præfectus in arce ,  
Bremensis læto Præsulis auspicio:  
Asscriptusq; viris, quorum est ante omnia munus  
Consiliis patriam ritè juvare suam.  
Quàm benè Danorum Friderici regis in aulâ.  
Vixerit , id cunçtis innotuisse reor.  
Namq; à Rege pio peregrinas missus in oras,  
Legati functus munere ritè fuit:  
Et meritò, linguam quia calluit ipse latinam,  
Gallorum dextrè novit & ore loqui.  
Si non præpropere sublatus morte fuisset,  
Effet adhuc ipsi cum juvenile decus ,  
Præmia virtutis Cajus majora tulisset:  
Sed non est summo res ita visa DEO.  
Hæc te fortassis , Prorex , meminisse juvabit,  
Defuncti nati quòd pia vita fuit.  
Præterea placidus vitæ fuit exitus illi,  
Hic etiam, luctum quo modereris , habes.  
Nam mortalis homo quia non sine crimine vivit,  
Æternæ mortis cogitur esse reus :  
Cogitur esse reus, nec spes est ulla salutis,  
Ni Christum capiat justificante fide.  
Solus enim Christus spes est , solamen , asylum,  
Confusæ mentis lux medicina , salus.  
Hunc tuus excepit fidei quoque filius ulnis ,  
Cum sensit mortis tempus adesse suæ.  
Ingenuè fastus transactæ crimina vitæ,  
Des, inquit, veniam, Christe benigne , mihi.

Ut de



Ut de promissâ mea mens sit certa salute,  
 Sanguine me recrea, corpore pasce tuo.  
 Annuit his precibus Christi Clementia Jesu:  
 Spernere namq; pias non solet illa preces.  
 His ita transactis, Prorex clarissime, Caji  
 Perstitit in vera mens generosa fide.  
 Et moriens animam migrantem tradidit illi,  
 Innocua cujus morte redempta fuit.  
 Nunc ea percipiens æternæ gaudia vitæ,  
 Conspectu fruitur colloquioque DEI.  
 Tempore postremo quoque glorificata resurget,  
 Quæ nunc fit spurcis vermibus esca, caro.  
 Hæc animo volvens, Prorex ac nobilis Heros,  
 Impositum à Domino fer patienter onus.  
 Subditus esto DEO, finemque impone dolori:  
 Hoc, quem tu luges, filius ipse rogat.  
 Te, pie Christe, precor, mœstos solare parentes:  
 Per verbum potes hoc nam pie Christe tuum.

*Henricus Ranzovius Cajum alloquitur, filium  
 suum vita defunctum.*


 Iccine, mi fili, florentibus integer annis,  
 Tu moriens alti scandis ad astra poli?  
 Et nos hei miseros lacrimarū in valle relinquis,  
 Quæ sine te nunquam vita placere po-  
 Hei tibi quem luctum nobis moriendo parasti? (test.  
 Præmatura nimis mors tua namque fuit.  
 Patria te luget, te tristi squalida luctu  
 Prosequitur lacrimis sponsa pudica suis.

G

Te mi.



H. R. AD CAIVM.

Te miserè lugent, qui te genuère parentes,  
Et causam luctus atq; doloris habent.  
Sponsus eras, fili, nec non pro more recepto  
Debebas cantu lætitiæque frui.  
Sed nunc pro thalamo bustum, pro virgine terram,  
Pro læto cantu nœnia mœsta capis.

*Respondet filius.*

Desine, care pater, nimis indulgere dolori:  
Nam mea res nunc est in meliore loco.  
Exul eram, fateor: nunc cœli sede receptus,  
Ante Deum vita lætitiæq; fruor.

Georgius Wippermannus.

EPICEDION.

**S**ic ne jaces CAI HENRICI carissimæ proles  
RANZOVII, arx Gottorp quando regenda datur?  
Ah jam muneribusq; ætas & amoribus apta,  
Præfectum & Sponsum mors quia ademit, erat!  
Incluta Præpositum cœtu te vidit eorum  
HAMBVRGA, una quibus lex veneranda Canon.  
Te Princeps aulâ juvenem suspexit ADOLPHVS:  
Regiâ & hinc carum Rex FRIDERICVS habet.  
A. C. Namq; es visus, Alexandrum qui Orator adires  
1587. Parmæ, præ reliquis commodus esse, Ducem:  
Scilicet inter & Hispanum, pacem, inter & Anglam,  
Cum te legato conciliare studet.

Apto

Apto caussa viæ simul est sermone relata,  
 Dux parat eloquio præmia digna gravi.  
 Cingat enim collum qui torques aureus, & quæ  
 Viva det ora Ducis cernere, imago, datur.  
 Quæ capiens diversus abis : spoliaris at auro,  
 Captus Bruxellâ non procul, atq; notis.  
 Demitur ut vinculum chartis, mox agnitus Anglo  
 Militiæ reliquos qui caput inter erat :  
 Adq; Status, & liber ab his dehinc mittere ad Arcton,  
 Rex, tibi, ubi factum, quod, putat omne sibi.  
 ( Nam didicere Status verè cecinisse Poëtam :  
 An nescis longas Regibus esse manus ? )  
 Nec mora sexcentas Batavum subsistere naves  
 Jussit, ubi aurifero est Hafnia clara freto :  
 Quæ tricies mille ut Ioachimi à Valle vocatos  
 Penderunt nummos, Rex ait, ite citæ.  
 Tu quoq; ne nullo doneris munere, CAI,  
 Tertia pars multæ sit tua deinde refert.  
 En animum, exstincti cujus virtute negant jam  
 Fata frui, Regis regia facta docent.  
 Anni abeunt, non omnis abit sed luctus, ibi Heros  
 Guelfus HENRICUS JULIUS hospes ait :  
 Sat luctu, lacrumisq; datum : nova gaudia quæro :  
 Nulla Venus ignes, tu nisi Elisa levas :  
 Tu mihi Diva places : tu regno fida relicto  
 Ibis ad HENRICI Principis uxor opes.  
 Emicuit, comitata fuit quæ fœdere Divam  
 Conjugii junctam copia lecta virum :  
 Unâ hic & CAI, florentibus integer annis  
 Magni animi juvenis conspiciendus ades.

A. C.

1590.



EPICEDION CAII RANZOVII.

Teſta ubi Guelforum poſt tædia longa viarum  
Celfa micant, hic ſit jam mora grata refers :  
Principis uſq; adeo tua movit pectora virtus,  
Nec latuit CAJI mens generoſa Ducem.  
» Non adamas, non ſic rutilans oblectat & aurum,  
» Ut vir, virtutum dulcis imago, placet.  
Abſentē hunc JANVS Præſul Bremeniſis ADOLPHVS,  
Holſatūm quo jam Principe ſulta domus,  
Delegit, ceu re dubia non inutilis autor  
Conſiliis habitus qui graue ferret onus :  
Ferret onus, quod honos humeris imponit, & arcem,  
Cimbrorum regeter quam tenuere Duces.  
Ergo vocatus abit Guelforum ſede relicta,  
Quam Princeps gemino nomine clarus habet :  
Atq; Bredenbergam cari genitoris ad arcem  
Tendit, ubi infeſtat languida membra lues.  
Quā tandem exſtinctus, Patriæq; Patriſq; Ducisq;  
Cimbrorum, aſtra Jubar, Robur, Ocellus, adit.  
Plura pedi Heroo vates accommoda dicent,  
Hæc CAJO cecinit mœſta Thalia : Vale.

*M. Henricus Gerlacius Hamburg.*

ALIVD.

Quis modus, & noſtræ ſit quæ fiducia vitæ,  
Optima vel primo tempore rapta docent.  
Vivere cum ventres & inania pondera terræ  
Cernamus Pylii ſecula multa ſenis.  
Sive ita fata volunt, ſeu crimina noſtra merentur,  
Quod prodeſt tranſit, quod nocet uſq; manet.  
Quam

Quàm brevis at cursus, nostræ sit & orbita vitæ  
 Velox, fors hominum præcipitata docet.  
 Sicut araneoli tenuatur stamen ab aura,  
 Ceu rosa mane virens, vespere sicca perit.  
 Sic homines pereunt: mors illos improba tollit,  
 Et redit in cineres quod fuit ante cinis.  
 Sic cadit ante diem CAJUS RANZOVIUS cheu,  
 Unica spes, columen, præsidiumq; patris.  
 Hic puer ingenuas castis cum moribus artes,  
 Cumq; pia didicit relligione fidem.  
 A teneris siquidem rectis assuescere multum est,  
 Quæ puer ediscit, post sciet illa senex.  
 Ingenii ob dotes, queis mens exulta nitebat,  
 Nestoreos annos vivere dignus erat.  
 Dexteritas laudata, fides, studiumq; fuissent,  
 Sive obeunda domi munia, sive foris.  
 Omnibus acceptum, multis prodesse paratum,  
 Consilio, eloquio, iudicioq; gravem,  
 Invida mors tollit vernantis flore juventæ:  
 Illius à rabie quis superesse queat?  
 Omnia falce metit, precibus nec flectitur ullis:  
 Ah nihil eximii mors finit esse diu.  
 Nunc mens astra colit, sed nomen vivet in orbe,  
 Dum veniens summum finiet hora diem.

*Bonifacius Calenius Hamburg.*

G 3

EPI-



EPI TAPHIA IDÆ  
Ranzoviæ.

Ida Henrici V. R. nepris	[ nata est Itzehoæ mortua Apenrodæ ]	] anno	[ 1588. ]	die 8. Septemb. mane hora 7.
			[ 1591. ]	die 24. Eebr.

INSCRIPTIO MONUMENTI  
Idæ Ranzoviæ.

IPSA LOQUITUR.

O ptimum quidem est, Sileno teste, non nasci, aut natum citò mori. Ast ego illud improbo, hoc probo. Illud, inquam: Si enim non nata, nec homo, nec imago Dei opificis fuisset. Hoc: Si enim non tam citò mortua, multis exposita fuisset morbis & periculis. Cum itaq; per mortem ad vitam, de peregrinatione ad patriam, ab æstu ad refrigerium, ex agone ad bravium, dulci somno sopita pervenerim, gratulor mihi, quod & ego IDA Idea, & imago Dei mei nascendo facta, quodq; citò moriendo ego IDA ita innumeris sim prærepta malis. Nunc autem trimula hîc Apenrodæ sub monumento à patre Cajo Mauritiï filio, & matre Elisabetha Henrici trium Daniæ Regum Vicariï filia, utrisq; Ranzoviis erecto, resurrectionem carnis expectans recubo, mortua 24. Februarii, sepulta 22. Martii, Anno Domini 1591.

IDA

**IDA RANZOVIA PER PROSO-**

POPOEIAM VERSICVLOS HOS CANIT, QVI

*soluta oratione Epitaphio conscripto correspondens.*

**N**on melior res est, Silenus protulit olim,  
 Quàm nunquam nasci, vel citò posse mori.  
 Hoc ex parte placet dictum, sed displicet illud,  
 Quod nunquam nasci rem putat esse bonam.  
 Nam quid homo? miranda DE I viventis imago,  
 Sic licet innumeris obrutus ipse malis.  
 Ergo hominem natam me lætor, lætor & inde,  
 Paucorum annorum quod mea vita fuit.  
 Nam multis prærepta malis nunc IDA quiesco,  
 Exspectans reditum Christe benigne tuum.  
 Quæ monumenta vides tumulo superaddita nostro,  
 Curavit fieri mœstus uterq; parens.

**A L I U D.**

**C**aræ matris amor, cari spes unica patris,  
 Oblectamen avi, deliciùmq; aviæ.  
 IDA ego RANZO VII dulcissima filia CAJE,  
 Trima sub hoc busto contumulata tegor.  
 Noluit ulterius fragilem me vivere vitam,  
 Mortales inter qui regit astra DEUS.  
 Ne mala, quæ forsan citò sunt ventura, viderem,  
 Innumerisve aliis obruerer vitiis.  
 Sed quoniam in toto nihil est optabile mundo,  
 Me voluit superâ luce domoq; frui.  
 O nimium felix, cui vere ætatis in ipso  
 Concessum est nitidi regna subire poli.

*Auus*



EPITAPHIA IDÆ RANZOVIAE.

*Avus nepti.*

**T**U quoq; suprema & communis nostra voluptas,  
Ante diem neptis sic mihi rapta jaces?  
Quæ me, quæq; aviam, matremq; patremq; solebas  
Blandiloquis verbis exhilarare tuis:  
Me lepido risu, lepidoq; agnoscere visu,  
Ac animum ex omni parte levare meum.  
O dolor, ô lacrymæ, ô quàm sunt immitia fata!  
Quàm miserum humanæ conditionis opus!  
Qui mediâ morimur vitâ, viviq; cadaver,  
Mortis inexpletæ mancipiumq; sumus.  
Sed mihi quid restat? num quod te trimula vidi?  
Matri quod genuit? quod peperitve patri?  
Ah non, à superis majus solamen habemus,  
Nempe quod hac positâ, cœlica vita manet.  
In qua, quamprimum me terris fata vocabunt,  
Tecum perpetuæ Sabbata pacis agam.  
Dii faxint properè, & placidè celsa æthera scandam,  
Et tua tantisper molliter ossa cubent.

*Neptis avo.*

**N**ON opus est tanto lassès pia numina luctu,  
Et mea, ceu facis, hæc fata queraris AVE.  
Cara quidem neptis tibi, caraq; filia patri  
Usq; fui, at multo carior ipsa DEO.  
Vos me mortalem fecistis vivere vitam:  
Christus at æternam perpetuamq; dedit.  
Vos lacrymas saltem: at Christus cum morte cruorem  
In cruce pendendo fudit amore mei.

Vos

Vos vilem à me non potuistis pellerè morbum :

At Christus morbum sustulit atq; necem.

Meq; ex naufragio in portum, patriamq; reduxit,

Nullus ubi labor est, nullus ubi dolor est.

Hunc meritò ergo sequor, qui vos quoq; tempore justo

Ducet ad hunc pacis lætitiæq; locum.

Este modò unanimes fortunam ad utranq; parati,

Quò bene possitis, cum venit hora, mori.

**H**ie lieg ich Key Ranzowen Töchterlein/  
 Nach Gottes Willen in mein Kämmerlein.  
 Die ich war von Natur in Sünden geboren/  
 Vnd hette derwegen müssen seyn verlorn.  
 Wann du nit Herz Christ mich mit deinem Blut  
 Erlöst hettest von Sünden/ Hell vnd Todt.  
 Der du mein Leben/mein Trost vnd Gewin/  
 Darumb ich leb oder sterb auch dein ich bin.



H

GEOR.



GEORGII ROLLENHAGII  
Reſtoris Scholæ Magdeburgenſis Epi-  
ſtola Conſolatoria

ad

HENRICVM RANZOVIVM  
U. R. de obitu filii CAJ I, cum non-  
nullis Epitaphiis.

**E**ſi Generoſe & Magnifice Domi-  
ne, homines ingenioſi de fontibus conſo-  
lationum tam in Philoſophiâ quàm Theo-  
logiâ, multa eruditè ſcripſerunt: tamen &  
in meis & amicorum calamitatibus ſæpè  
expertus ſum, quod Cicero queritur: ea  
tantum poſſe, quantum in cuiuſq; animo eſt roboris  
atq; virium. Heroicus enim animus ſeipſum cohibet,  
atq; in gyrum rationis ducit, etiam nihil monitus: mu-  
liebris contra vel ſapientiſſimè tractatus parùm adjuva-  
tur. Utriq; Medicus optimus eſt, Spiritus ſanctus, &  
temporis quædam longinquitas. Quapropter comme-  
moratione earum rerum, quæ jam olim tum literis no-  
ſtris, tum uſu diuturno confirmâſti, neq; aures tuas gra-  
vare, neq; dolorem refricare volo: tantum meos tecum  
gemitus & lacrymas conjungo, & te oro, ut pro te quo-  
que repetas Tragicæ illud: Me longa dies & generoſus  
animus patientiam docuerunt: atq; propter Eccleſiam  
DEI & Rempublicam reverendæ tuæ ſenectuti parcas.  
Nobis

GEORGII ROLLENHAGII CONSOLATORIA. 28

Nobis enim omnibus tandem luctus noster, hoc Davi-  
dico Epiphonemate finiendus est: An possum eum re-  
vocare? Ego quidem ad illum migrabo: ille verò non  
redibit ad me. Hæc breviter tibi in mentem revocare  
volui: tibiq; , quod restat, totiq; familiæ animum in vo-  
luntate D E I acquiescentem & firmam valetudinem:

Filio piæ memoriæ, tandemq; nobis omnibus  
lætam resurrectionem exopto. Vale.

Magdeburgi, 1591. 7. Junii.



H 2

GENE.



GEORGII ROLLENHAGII CARMEN CONSOL.  
GENERE, LITERIS ET DIGNI-  
tate nobilissimo Domino, HENRICO  
RANZOUIO, Daniae Pro-  
regi divinam consol. P.

Georgius Rollenhagenius.

**I**ngenuas artes, & mores Principe dignos  
Edoctus, CAJUS stemmate RANZOVIUS.  
Arcem Gottorpi quando Praefectus adibat,  
Exultans sponsae FLORIS amore novae.  
Tum moritur juvenis. Pia mens demigrat in aulam,  
Qua patet ad caelos porta reclusa DEI.  
Debile plantatur corpus, quod vindice Christo  
Post immortali flore resurgat humo.  
Inq; DEI villis Paradisi floribus auctum,  
Nectaris aeterni gaudia laeta bibat.  
Et si igitur mors haec nimium festina videtur,  
Et tristis sponsae venit, acerba patri:  
Morte tamen, quanto minor est Gottorpia caelo,  
Tantum deterior vita caduca fuit.  
Hunc absq; invidia CAJO gratemur honorem,  
Aeternum CAI Ranzoviane vale.  
Tu vero tu curarum compeste tumultus  
O pater, & patri gratificare DEO.  
Qui tales nostris in sevit cordibus ignes,  
Quales cognato sentit amore dolor.  
Ut sint aeternae pictura domestica flammæ,  
Qua totus nati flagrat amore sui.

Atta-

IN TUMULUM CAII RANZOVII EIVSDEM. 29

Attamen hunc mundo dedit, ut qui credit in ipsum,  
Non pereat, vivat sed super astra DEO.  
Et dubitamus adhuc illi committere nostra,  
Omnia, qui nobis omnia summa dedit?  
Quin gnatos, & nos ipsos reddamus eidem,  
Qui datus est nobis lux, via, vita, salus.

IN TUMULUM CAJI  
RANZOVII.

**C**AJUS RANZOVIUS jacet hic: qui stirpe vetustâ  
Nobilis, ingenii clarus honore fuit.  
Ut Gottorporum sedem Præfectus haberet,  
Jungeret Holtaticis consiliumq; viris.  
Invidere decus, tantum decus, invida fata,  
Et patri, & patriæ: restituere DEO  
Sed juvenem: Sponsâ funus plangente dolendum,  
Ergo tui fati tu quoq; vive memor.

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*  
\*

H 3

ALL



IN TEMPLVM CAII RANZOVII EIVSDEM.


ALIVD.

**H**ic jaceo, HENRICI spes atq; novissima proles,  
HICAJUS RANZOVIVS. Quem nec virtutis egen-  
Nec laudis, nec opum, juvenem cita fata tulerunt. (tem,  
Quem plangunt pater & mater, fratresq; sorores,  
Cognati, notiq; omnes, patriæq; penates,  
Herois quem virgo mihi carissima Sponsa  
Incredibilibus lacrymis sibi luget ademptum.  
Ferreus es, nisi tute gemis : mœstoq; parenti,  
Et viduæ Sponsæ solatia dia precaris :  
Dum beat in cœlis me vivi gratia Christi.

*N. B. Suprà fol. 4. b. lm. 26. pro : Ex his quisq; lege : Ex bis quemq;*

FINIS.





HAMBURGI,  
EX OFFICINA  
TYPOGRAPHICA  
Jacobi Wolffii.



*Anno Salutis,*

---

CIO. IO. XCI.